

Antonium iuxta Acteum litus gesti in quo versus est Antonius cum Cleopatra in fugam. et Caesar victor Romam pervenit et agros militum et amicorum Antonii militibus suis divisit, villa quoque propria Virgilii, qui consiliarius 30 familiaris et poeta Antonii fuit, quae villa Andes dicitur, Claudio Arioni centurioni data est. cum Mantua data est Cornelio Gallo Cremona non sufficiente militibus. hi sunt amici Virgilii de potentibus Octaviani: Emilius Macer, Quintilius Varus, Micenas, Cornelius Gallus, Asinius Pollio. in 35 laudem et honorem Caesaris eo iubente XII libros Aeneidos scripsit. Homerus XLII libros in laudem Graecorum scripsit, Virgilius vero XII in laudes Romanorum scripsit. patientiam autem sui ingenii nobis ostendit cartando lata XLII in XII et angustiora delatando id est VII in X et II in IV. 40 Aeneas quod de Aenea narrat. Varus et Tota Virgilii et Horatii contubernales poetae, qui Aeneidos postea libros emendaverunt sub ea condicione, ut nihil adderent. tria genera carminum sunt: humile eloquium ut bucolicum, medium eloquium ut georgicon, magnum eloquium ut Aenei- 45 don. phisicam secutus in bucolicis, ethicam in georgicis, in Aeneidis loyca.

Puplius Virgilius Maro natus est in idibus Octobris Pompeio et Crasso consulibus genere Tusco, Mantuae civitatis vico Andes nomine ubi eum mater Maia genuit ante trien- 50 nium quam Lucretius poeta deciderat. quis pater eius fuit incertum est. in eo loco ubi est conceptus palmetus est positus qui in arboris speciem crevit, qui indicio fuit mirae claritatis. eum erudivit Balesta cives. ubi Romam venit ad notitiam Caesaris statim factus est amicus. Virgilium 55 nempe propterea parvuli legunt ut videlicet poeta magnus, omnium praeclarissimus atque optimus teneris habitus (s. s. velaeni) animis non facile, oblivione possit aboleri, secundum illud Horatii (*epist. I, 2, 69*) 'quo semel est inbuta recens, servabit odorem testa diu'. 60